

tari. Et jam die uno per hos labores acto , secunda vigilia noctis in arduo montis jugo , quod in suprema valle fuit , agmen continuuit , fessum militem cibum capere jubar , ac paululum quiescere . Inde sub auroram motis signis , quum agmen procedere cœpisset , Paris Ludronius jam antea Veneto nomini conciliatus , repulsis a fronte hostibus , præsto affuit : eum miro gaudio complexum per asperrimos Italiae montes Mellita cum omnibus copiis sine aliquo montanorum metu fecutus , ad vesperam in pacato consedit . Censebant omnes , hic refici jumenta oportere , asperitate locorum defatigata , nec non & militem , duorum jam dierum ac totidem noctium assidua itineris jactatione defessum . Quod fieri nullo modo Mellita est passus : quin properandum esse prius , quam Tridentinus Antistes Venetum per suos fines transflitrum rescivisset , dicere . At licet maturatum sit , hostis tamen falli non potuit : Poloni Maclovienses a barbaro sub vesperam missi , excitis ad arma montanis , copias omnes pene intercluserunt : quod nisi ita , ut dicimus , properatum esset , atrocissima omnino clades in angustiis , ad quas ventum erat , quasque hostis insederat , fuisset accepta : quanquam sic quoque in ipsis angustiis est non mediocriter trepidatum . Hirti calles ac præpediti mediis montibus erant , quibus hinc rupes & saxorum ruinæ ingentes impendebant , inde profundissimi torrentis aquæ despici , tam procul ab hominis aspectu recedentes , ut quæcumque in imo fundo jacentia caligantes oculi intuerentur , dimidio minora quam essent , apparerent . In hæc quoque horrenda loca ab effera-tissimis incolis quosdam ordine aberrantes dejectos credidere . Has angustias barbarus insederat , & quid sub noctem , quæ jam prope instabat , molitus esset apparabat : ut , dejectis saxorum molibus in subjectum agmen , ingentem subito ederet stragem . Mæsticia & desperatio non itineris solum , sed vitæ quoque in ore omnium imminebat : quod Venetus ductor sentiens , Cavalcabovem , Rangonium , & Guidonem , impigros juvenes , cum trecentis peditibus , qui gladium & breviores hastas habebant ,